

Consilium X.

Victorinus Nefer, ultimam voluntatem suam in chartam conjicit, ac nomen suum singulis paginis subscribit, addito etiam sigillo, hæredemque scribit Apolloniam Reichsteterin, defunctæ uxoris sororem, additis causis, quòd & ipsi aliquid testamento relinquere voluerit, & curam ipsius valetudinis, cum ægrotaret subinde, fideliter habuerit. Post mortem hæredis, converti vult, quæ ab ipso acceperit illa, in Stipendium. Moritur interim Victorinus, antequam testes scripturæ huic adhibuisset, quæ est litis occasio inter scriptam hæredem, & hæredem ab intestato. Respondetur non esse Testamentum validum scripturam illam, ex adductis in Consilio Rationibus.

SUMMARI A.

1. *Facti Species.*
2. *Si constet de mente defuncti, ac solum deficient solennitates Iuris civilis, hæredem ab intestato in conscientia adstrictum esse ad restitutionem, hæredi in tali testamento relicto, faciendam, Theologi ac Icti multi existimant.*
3. *Si quid in foro externo liceat, quod in foro interno pro peccato habetur, ad animæ salutem, non pecuniarium commodum respiciendum, rectè docent Icti.*
4. *Virtus clausulæ codicillaris.*
5. *Quod dicitur, in codicillis hæredis institutionem fieri non posse, intelligendum saltem de directâ & verâ hæredis institutione, non etiam, si per fideicommissum hæreditas codicillis relinquatur.*
6. *Ad fidei commissum, neque ratione constitutionis, neque ratio-*